(4

PHILIPPI CAOLINI

REGIAE NEAPOLITANAE

SCIENTIARUM ACADEMIAE SOCII

VITA

AUCTORE

THEODORO MONTICELLIO

ACADEMIAE EIDEM A SECRETIS.



NEAPOLI

MDCCCXII

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

. . . . Et ratibus ſulcans ſecreta profundi
Multa occulta prius vaſto ſub marmore vidit.

Oppianus lib. I. halieutic.

CLarorum virorum facta, moresque poſteris tradere antiquitus uſitatum noſtris hisce temporibus incuriosa ſuorum aetas, & aerumnis diſtracta omiſiſſe videtur. Etſi enim Napoleonis Magni, ejusque fratris Josephi, tum Joachimi Optimi Regis auspiciis redierit jam nobis animus, & ſecuritas publica non voti fiduciam, ſed voti ipſius compos novum robur aſſumpſerit, cineres tamen Dominici Cyrilli, Marii Pagani, Marcelli Scotti, Nicolai Pacifici, Franciſci Confortii, Franciſci Federici, Dominici, ac Franciſci Caraccioli, Caroli de Marco, aliorumque, qui calamitoſo ut plurimum, & immerito fine inclaruere, ſine elogio, ſine honore deſerti ſunt. Adeo nempe verum eſt natura infirmitatis humanae facilius ingenia opprimi, quam revocari.

Mihi itaque ex officio defuncti ſodalis

ex bonis omnibus cariſſimi vitam narraturo, venia opus eſt, ſi quid de uno, vel altero illorum heroum, uti ſe dabit occaſio, fuſius dicam; ſermonis tamen, & rerum dicendarum modum haud praetergreſſurus. Hoc enim ipſo celeberrimus quiſque ad eorum memoriam illuſtrandam, ſine gratia, & ambitione, ut par eſt, extimulabitur; adeoque gentis noſtrae gloriae, & poſterorum eruditioni conſultum iri confido.

Philippus Caolinus anno MDCCLVI Neapoli non ignobili genere (1) ortus, per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam, adoleſcentiamque tranſegit. Graecarum, & Latinarum litterarum rationem a Jacobo Martorellio, & Januario Vico: Phyſices a Joanne de Turre, & Joſepho Vairo: Matheſeos a Joſepho Marzuchio: Botanices a Dominico Cyrillo; Anatomiae a Dominico Cotunnio, & Bruno Amantea: Juris tandem prudentiam a Joſepho Cyrillo in Regia Studiorum Univerſitate tantis ea tempeſtate illuſtrata viris accepit.

Nec Graecae defuit comitati; nam muſi-

ces,

ces, gymnasticae, & graphidis artibus operam dedit; tantamque egregiis hisce studiis impendit curam, nihil ut blanditiis adolescentiae concesserit. Arcebant eum ab illecebris peccantium praeter ipsius bonam integramque naturam, parentum, ac magistrorum exemplum, atque diligentia; quibus factum est, ut sublime, & erectum ingenium vehementius gloriae amore inflammaretur, eamque a Philosophicis disciplinis, & virtutum exercitio acquirendam sibi esse animo proposuerit.

In deliciis ei praecipue erant Joannes de Turre, duoque Cyrilli Dominicus, ac Josephus. Ab illo Physices eximio cultore experiundi, ac rimandi vel minima rerum adhibitis exquisitissimis instrumentis artem didicit; eique dehin in disquisitionibus physico-mathematicis praesto fuit (2). Quid autem sub utroque Cyrillo Caolinus profecerit, paulo longiori sermone referre lubet.

Imprimis autem monendum duco, quod nostris, exterisque jam constat, magnum nempe Virum Dominicum Cyrillum subli-

miori ingenio praeditum tanta contentione hiſtoriam naturalem ab ineunte adoleſcentia exeoluiſſe, tantumque ſibi ex ea nomen feciſſe, ut viceſimum primum aetatis ſuae annum vix natus Botanices Cathedram in Regia Studiorum Univerſitate, ceteris concedentibus, conſequutus ſit (3). Ad hanc ſcientiam, aliaſque affines augendas, Entomologiam nempe, & Mineralogiam, quas Majores noſtri Fabius Columna, ac Ferrantes Imperatus omnium primi, renaſcentibus litteris, in Europa inſtaurarunt, florentiſſimas Inſubrum, Gallorum, Batavorum, & Anglorum gentes peragravit. Illic non modo multos vidit hominum, urbiumque mores, ſed conquiſitis undequaque plantis ad ſeptem uſque millia, curante Cajetano Nicodemo ejus diſcipulo, hortum botanicum, adlectis paſſim inſectis, ac mineralibus Faunam, Muſaeumque, magno denique recentiorum librorum apparatu ad antiquos adiecto, bibliothecam a propatruo Nicolao inceptam, a Sante Patruo adauctam locupletavit, abſolvitque in ſelectorum Diſcipulorum uſum, eruditio-

ditionemque. Strenuioribus inter ipſos, eodem Nicodemo, Franciſco Ricca, Xaverio Macrì, Vincentio Briganti comitibus peregrinationes ſaepe intra Regni limites & ipſe aggreſſus eſt, illoſque ad frequentiores alias ſuſcipiendas aere ſuo inſtruxit; hinc plantae apud nos rariores, novaeque, rariora inſecta, vel ignota mineralia ingenti numero collecta; ne quid de re noſtra herbaria, inſectis, minineralibus lateret. Quanta autem felicitate, ac dignitate Botanices, & Entomologiae progreſſui vir doctiſſimus inſudaverit, etſi opera in lucem edita (4) locupletiſſimum praebeant teſtimonium, facilius tamen haurire ab ipſo Linnaeo fas eſt; quandoquidem tres ille ſuos ſat celebres diſcipulos Aſcanium nempe, Murray, & Valh Neapolim legavit, ut apud Cyrillum de plantis, inſectiſque harum Regionum notitiam, & *συλλογην* compararent.

Quanta porro fama, & gloria Medicinam auxerit, norunt omnes; ab ejus libris certo noscent poſteri (5).

Quae vero pene confecta haberet tum ad plantas, & inſecta, tum ad medicinam per-

tinentia; nova quidem, & magna, & admiranda, quaeve animo concepta tentare, & experiri meditaretur, pro orationis noſtrae brevitate ſilentio praeterire liceat (6).

Nefas tamen eſſet ejus virtutes ſilentio eodem premere; adeo enim benigna natura fuit, ut ſcientiam cum modeſtia conjungens humanitati, liberalitati, pietati numquam defuerit; doctrina vero, prudentia, largitionibus, doctis, indoctisque, pauperibus, ac divitibus aeque utilis ſemper extitit: ſingulis, & univerſis adeo acceptus vixit, ut invidiam omnem, quam celebritate nominis in exercitio artium infra ſe poſitarum excitare potuiſſet, conſtantiſſime ſuperaverit.

Tanti viri extremum fatum adeo infelix, & miſerrimum fuit, ut lacrymis potius, quam verbis proſequi valeam. Atra nocte premantur triſtes ſui obitus cauſſae, qui peſſimo annorum MDCCXCIX. evenit. Vereor enim, ne vulnera, quae mihi cum illo fuere communia, nondum penitus obducta, narratione ipſa recrudeſcant, & procul ab hiſtoriae legibus tranſverſus agar. Hujus igitur muneris par-

partes fungantur alii, quibus & mens, & oratio fit pacatior, vel diuturna temporum intercapedine tantorum malorum recordatio, & aegritudo obtundatur. Illud tantum memorem; ea crudelitate in ejus domum, libros, infecta, hortum &c. a furente plebe faevitum effe, ut omnia penitus direpta destructaque fint; nec unquam poftea recuperandi locus relictus. Quafi tam facile effet ejus memoriam perdere, quam plantas e terra evellere!

Sed redeamus ad Caolinum. Hic quum Cyrillum tum ex Cathedra docentem, tum domi, & in horto familiariter agentem audiret, ejus aufpiciis, ductuque plurimum in Botanices, ac Enthomologiae ftudio profecit: eademque occafione, & commoditate penitiorem Juris philofophiam a Jofepho Cyrillo eft mutuatus.

Hos autem fummos viros quum convenirent quotquot Neapoli degerent, aut eo adventarent politiores homines, nihil mirum, fi illorum omnium confuetudine eruditus Caolinus citius, quam per aetatem liceret, fpecimi-

cimina plura dederit futurae celſitudinis. Annum ſiquidem agens aetatis ſuae XXII., quas diu collegerat de Caprificatione obſervationes, opere typis impreſſo vulgavit. Ficus Caricae naturam, diverſaſque ejus ſpecies, earumque flores faemineos, maſculinos, vel hermaphroditos, nec non Proficûs florum fabricam, ſexumque quaeſivit, conſtituitque. Duplici praeterea hos occupari inſectorum genere deprehendit; quorum unum a Pontadera Ficarium dicitur (Cynips Pſenes Linnaei eſt, a Caolino Ichneumon Cynips nuncupatus) alterum a nemine antea obſervatum Ichneumonis ficarii nomine a noſtro Auctore deſignatur. Tum utriuſque generis inſectorum domicilium, functiones, & officia perſcrutatus obſervavit Proficûs ea propria eſſe, in ejus floribus latitare ſub ovi forma, & ab iisdem in muſcas perparvulas converſa opportune egredi, polline conſperſa ad foecundandos, quos invadunt, flores Biferarum, Mariſcarum, aliarumque ſpecierum, quae maſculino orbantur ſexu, & in ceteris ad florum ubertatem ictu, & calore ex domici-

micilio, quod in iis feligunt, maturandam, celerandamque. Haec autem tanto ab omnibus excepta fuere plaufu, ut clarissimi viri Felix Fontana, & Attilius Zuccagnius datis litteris a Caolino florum Proficûs, & infectorum Corpora petierint, quo cereis iconibus adamuffim expreffa in Mufaeo Florentino affervarentur ad eruditionem (7).

Proximo vero anno MDCCLXXIX doctrinae, & eloquentiae laudem, quam in foro obtinuerat, confirmavit opere in lucem edito, cui titulus Progynafma in veterum Iurifconfultorum Philofophiam. Hanc Romanos non ab Aegyptiis, non a Graecorum Philofophorum Sectis, fed a naturali tantum ratione, & aequitate derivaffe multis oftendit argumentis; hanc unam infuper ipfis fuiffe ufque ad Ulpianum regulam; ab eaque poft Legulejum immaniter receffiffe fequentium faeculorum jurifperitos pluribus docet, donec Cujacium Jurifprudentiae inftauratorem pofterior aetas acceperit.

Hanc tamen Juris fcientiae, & fori negotiis operam non fuopte ingenio, fed ex patrio

patrio quodam more parentumque hortatu praestitit. Defuncto postea patre rus inter paternas opes nactus in Pausilypo monte, & proxime ad maris litus positum, aptamque in eo domum, instrumentis librisque ad historiam naturalem excolendam ornavit; ibique eam amplissimae hujus scientiae partem explorandam suscepit, quae tunc veluti ignota, vel parum nota provincia audiebat apud omnes: ad vermes nempe & praesertim aquatiles, plantasque marinas investigandas animum convertit. Nec diu observantem eum latuit natura Monoculi Pulicis, quam *androgyneam* esse confirmavit; atque ejus fabricam perquamminutissime describendo facile ei fuit, commentum Termeyeri explodere. Praecipiti siquidem judicio praedicaverat Termeyerus singulos monoculos sibi ipsos ad coitum sufficere exteriori organorum generationis conjunctione; quum nulla reapse sit hujuscemodi conjunctio, immo nulla iis insint generationis peculiaria organa extrinsecus apparentia. Quaedam praeterea singularia in id genus insectis primus vidit, scilicet pro frigoris, tem-

tempeſtatumque varietate (quod aphydis etiam accidit), modo ova, modo fetus promere: albaque adhuc eſſe, quae aquis innatant calidioribus, ut plerumque ſunt, quae plana loca alluunt; rubro vero colore ſuffuſa emicare, quae montanos frigidioreſque lacus incolunt. Ex quo gradum fecit ad explicandas pluvias ſanguinis ab Homero, Cicerone, Plutarco, Livio, Plinioque relatas.

Hoc Caolini opus, ut et alterum de Caprificatione, tertiumque breviſſimum de Fungorum origine (8) inter ſelecta Scientiarum Opuſcula, quae Mediolani viri docti junctis viribus publici faciebant juris, reperiuntur; non leve procul dubio indicium plurimi ea pretii fuiſſe etiam apud exteros aeſtimata.

Sed haec quamvis praeclara attamen veluti vagientis Herculis tentamina haberi poſſunt, ſi cum ceteris ejus inventis, operibuſque comparentur. Nautarum enim, quos ſuis erudiebat obſervationibus, commercio, & auxilio edoctus, ſumptibus, & labori haud parcens, diu noctuque profunda maris, antra, ſcopulos, inſulas, litoraque noſtri Crateris

teris per omnia rimans, eo devenit, ut plura plane nova, & admiranda de Zoophitis praesertim doceret, appositisque iconibus rite delineatis omnium oculis exhiberet.

Tribus enim dissertationibus anno MDCCLXXXV in lucem editis non modo Polyporum maris historiam novis (9) adauxit speciebus, sed eorum, ac praecipue Gorgoniae, Isidis Nobilis, seu Corallii, Sertulariae, Tubulariae, Madreporae, Celleporae, ac tandem Spongiae officinalis admirandam fabricam primus omnium disertissime exposuit. In Gorgonia siquidem, ceterisque recensitis Zoophitis unicum inesse animal demonstravit. Quae enim partes in nonnullis truncum ramosque ad similitudinem plantarum mentiuntur, vel in aliis diversa effingere animalcula videntur, uni eidemque Polypo tribuendas esse experimentis, & observationibus declaravit. Unumquodque vero id genus Zoophitorum tribus coalescere deprehendit. Primo, corneo quodam, vel lapideo, aut stupaceo substentaculo interius posito, quo velut artubus animal substineatur, extendaturque. Secundo, membra-

brana quadam coriacea ſubſtentaculo undique advoluta. Tandem cruſta calcarea, veluti cute ad vitae defenſionem, ab eadem membrana per tranſpirationem jugiter exudante. Vim autem vitae in huiuſmodi animalculis totam in membrana laudata conſiſtere, eamque novo, ac mirabili prorſus artificio generationi, ac nutritioni ſatisfacere deprehendit. Quae euim frequentiora per totam membranae ſuperficiem obſervantur oſcula, ea ſunt nutritionis, ac generationis inſtrumenta (10) Ab illis ſiquidem non modo ad libitum animantis egrediuntur organa quaedam, octo vel minus tentaculis ad inſtar Polyporum ad cibum capeſſendum, retinendumque ornata; verum etiam ſtatis temporibus, membranâ in latus oris disruptâ, ovaria exurgunt ovis referta, quae maris exagitata fluctibus, tandiu vagantur, donec aptum ſortiantur corpus, locumqne, cui implantari valeant ad generis propagationem.

Haec recenſitis Zoophitis communia ſunt. Accedunt, quae ſingularum ſpecierum ſunt propria. Tum quibus inter se, & a perfe-

ctio-

ctioribus animantibus differant ; aut plantis assimilentur : quam habeant sectas partes redintegrandi facultatem : quibus vescantur : quae alia animalcula in eorum plerisque vivant, & alia plura multiplici experimento, & exemplis ad rem adductis declarat firmatque.

Ne quid autem praeteriret eorum, quae id genus Zoophitorum historiam valeat illustrare, ad quam in mari profunditatem singula vivant, quod praeferant domicilium (Cryptas nempe hinc inde apertas orienti soli absconditas, & ad meridiem versas) : quibus tandem corporibus exanimis, vel vita praeditis implantari soleant, tanta solertia, & veritate determinat, ut mihi, atque Xaverio Macrì, alia per craterem perquirentibus, facile fuerit, uno, vel altero die, levique conatu ea omnia Zoophita in manibus, praeque oculis habere, & vera esse quae Caolinus docuit, deprehendere.

Hinc nil mirum, si clarissimus Gmelinus inter scriptores de Zoophitorum historia optime meritos Caolinum recenset ; centiesque ad eum lectores amandat. Quid enim sentien-

tiendum ſit de Caolini obſervationibus datis epiſtolis, quas ad calcem ſermonis referam, Ioſephus Olivius, & Spallanzanius declarant. Unum tantum addam: nempe Pallaſium ipſum, qui Italos omnes oſcitantiae inſimulaverat, ſubmiſiſſe faſces; & quum per epiſtolam a Caolino petierit noſtri maris, terraeque Zoophita, plantas, foſſilia, ea commutaturus cum Siberiae Plantis, vermibusque maris hiperborei, illum, ut clariſſimum virum, & in augmentum hujus ſcientiae natum ſalutaſſe (11).

Horum aliorumque ſapientum laudibus magis magiſque excitatus anno MDCCLXXVII. opus alterum in lucem dedit: *Memoria sulla Generazione de' Pesci, e de' Granchi*. Liceat brevem hujus Operis Epitomen tradere, & quae & quanta naturae arcana in propatulo poſuerit, omnibus revelare.

Ictiologi piſces ſpinosos a cartilagineis ſecernunt: hosque, ut plurimum, fetum, illos ova promere conſtat. Viviparorum (uno, vel altero exceptis) coitu maris cum femina, ova in utero matris foecundari in com-

perto eſt apud omnes. Quomodo vero in Oviparis, quorum generationis organa ad coitum inepta eſſe videntur, ſe ſe habeat ovorum foecundatio, in dubio erat. Docuerat quidem Ariſtoteles mares perſequentes feminas ſpermate ab iſtis ejecta ova irrorare (12). At ſubſequentium aetatum ſcriptores fabulam ab ipſo Ariſtotele exploſam, ab Oppiano poſtea verſibus edoctam, fere omnes & Linnaeus ipſemet, ſequi maluerunt: ſcilicet, ore feminas marium ſemen haurire, atque ita foecundas fieri. Recentiores vero nonnulli, ut Hallerus, aliique licet ab Oppiano, & Linnaeo receſſerint, commenti tamen ſunt Oviparorum Piſcium ova per coitum, qui nullus reapſe eſt, in utero matris foecundari. Ipſe magnus Spallanzanius hac in re deceptus eſſe videtur; nam clariſſimum Buffonium eadem, ac Ariſtoteles, docentem refutat, & Halleri ſententiam conjecturis tantum innixam calculo ſuo adprobare non detrectat in opere, quo Amphybiorum ranae, ac bufonis ova extra corpus feminae foecundari demonſtrat. Adeo nempe mortalium

quis

quisque in errores pronus labitur, quoties unam veri magiſtram experientiam deserat.

Haec omnia animo perpendens Caolinus experimentis & obſervantionibus litem omnem dirimendam ſuſcepit. Ne autem in errorem in perdifficili inquiſitione incideret, atque ut veritatem, ſi qua eſſet, tutius aſſequeretur, dignoſcendam ſibi in primis eſſe Piscium ſtructuram, dignoſcenda viſcera, muſculos, membranas, branchias, ſanguinem, ejusque per venas arteriaſque circulationem, cerebrum, aliaque omnia, & praecipue generationis utriuſque ſexus organa, necnon ova, ac ſperma, neceſſarium duxit.

Diſſectis itaque pluribus Piſcibus, nempe Scorpaena Porco (aud nos Scorfano) Gado Merlucio (Merluzzo) Clupea Encreſiculo (Alice), Labro Iulio (Minchia di Re) aliiſque etiam ex genere viviparorum, repetitis vicibus, & perfectiſſimis vitris microscopicis adiutus ſumma ſedulitate, & patientia partes omnes vel minimas horum piscium diligentiſſime obſervavit, delineavitque.

Maximam autem poſuit curam in obſer-

 van-

vandis, ac delineandis ovariis feminarum; ovisque, eorumque ex fecundatione vicissitudinibus: atque haec omnia ita se habere, ut Aristoteles iam docuerat, ingenuo animi candore fatetur, & statuit. Hinc acriter in recentiorus Ictiologos insurgit, qui commentis, *quae dies delet*, potius, quam summo viro Alexandri Praeceptori fidem praestiterint.

Qua de re ad modestiam Caolini satius duco ipsius Aristotelis, in eius doctrina exponenda, verbis uti.

Docuerat Stagyrita viviparos pisces ut aves, matrice, & utero donari; ab eaque ova per foecundationem in uterum descendere, ibique albumine, duplicique membrana conclusa tamdiu morari, donec in perfectum animal evolvantur. Diversimode autem se res habet in oviparis, quorum ova non matrici (quum nulla sit) racemorum instar, sed sacculis uterum constituentibus dispersim adhaerent; neque albumine ut illa, induuntur, sed immota hausto per arterias sanguine nutriuntur, donec statis temporibus ab ute-

utero expellantur ad fæcundationem, quæ extra matris corpus ſit (13). Quid autem Piſcibus Oviparis cum avibus commune ſit, quibus haec duo Animantium genera quoad ovorum, & uteri conſtructionem differant, hiſce verbis ex Gazae interpetratione declarat (14).

„ Ovum Piſcium non bicolor, ut avium,
„ ſed unicolor omnium eſt, & plus albi tra-
„ hens, quam lutei, tam ante, quam poſtea
„ cum fetus inſidet. Differt Piſcium genera-
„ tio ex ovo ab avium generatione, eo quod
„ altero caret umbilico, qui ad membranam
„ teſtae ſubditam tendat: alterum enim tan-
„ tum, qui avibus ad vitellum fertur, ha-
„ bet meatum. Cetera idem ortus ex ovo
„ avium, & piſcium eſt: quippe cum & fe-
„ tus in extremo ovo naſcantur, & venae ſi-
„ miles ex corde inter initia proficiſcantur;
„ & caput, oculi, denique partes ſuperiores
„ principio fiant praegrandes: increſcente e-
„ tiam fetu, humor pari modo ſubinde ab-
„ ſumitur: demumque nil ſupereſt, quod non
„ fetum ſubierit, ſicut de vitello avium ex-

„ positum est; quin etiam umbilicus paullo
„ a ventre inferius haeret, qui recens natis
„ longior sit, crescentibus paullatim brevior
„ reddatur; demumque se totum intra fetum
„ recondat, ut dictum de avibus est. Mem-
„ brana quoque eadem ovum, & fetum con-
„ tinet, cui membrana altera fetum per se
„ continens subiacet. Humor autem inter
„ membranas positus est. Adhaec cibus in
„ alvo suggeritur eodem modo pisciculis al-
„ bus, quo avium pullis luteus (15).

Tum: „ Ova, quae liquor ille vitalis con-
„ tigerit, candidiora extemplo cernuntur,
„ maioraque reddi eodem die propemodum
„ dixerim. Paullo ante post oculi fetus exi-
„ stunt conspicui, qui in quovis piscium ge-
„ nere perinde, ut in ceteris animalibus, sta-
„ tim patefcunt, praegrandesque apparent.
„ Quae ex ovis non attigerit liquor masculi
„ ille vitalis, haec sterilescunt, & supervacua
„ sunt, ut in marino etiam genere incidit.
„ Foecundis jam ovis pisciculo increscente de-
„ trahitur velut putamen, quod membrana
„ est Ovum ambiens, & pisciculum (16).

Nec

Nec minorem vir doctus adhibuit diligentiam in obſervandis organis maſculinis Piſcium Oviparorum; quae quidem enucleans non invitus ab Ariſtotele, & Plinio diſcrepans, in id genus piſcibus veros exſtare teſtes, non venas tantum, ſeu meatus, canaleſve, ut illi docent, demonſtravit. Hi ſunt, quos vulgo lactes dicimus: eos autem numeris omnibus ad verum ſemen elaborandum abſolutos eſſe, ab iiſque veris tempore abdominalium muſculorum ope ſemen exprimi, eoque irrorari ova a feminis ejecta abſque coitu, aſſeruit, & tanta claritate demonſtravit, ut poſt eum apud omnes pro certo habeatur in viviparis ovorum foecundationem in medio mari extra corpus matris fieri.

Ea vero animi contentione his omnibus incumbuit, ita per omnia vel minima verſatus eſt, nihil ut illius meditationibus, effugiſſe videatur! Id certe in Percae obſervationibus exploratum reliquit. Nam in Percae ovariis corpuſculum quoddam umbilicum verſus, iiſque, utrinque incluſum, albumque, quod inſtar teſtium labori julidis referebat,

prior deprachendit, illudque veris tempore una cum ovariis turgere, et adhibita expressione humorem quemdam guttulis spermatis ceterorum piscium simillimum emittere microscopicorum ope vitrorum adnotavit. Quum autem ex percarum genere (de channa similia docet) mares nullos invenisset, illas androgynea natura praeditas esse conjecit; quâ enim ex caussâ ova in faemellis ex ovariis, sperma in maribus, qui coire nequeunt, ex testibus expelluntur, eâdem, mutua nempe musculorum abdominalium contractione & relaxatione in percarum genere utrisque praedito, & ova simul, & sperma egredi, foecundarique argumentatus est.

Verum ea modestia semper usus est, ut suam ipse opinionem calumniari numquam praetermitteret; nec androgyneam percae naturam declarare, & publici juris facere ante persuaderi potuit, quam egregium virum Bonnetum consuluisset, hujusque litteris acceptis in eadem sententia confirmaretur (17).

Equidem fateor rem satis exploratam adhuc

huc non eſſe, immo recentiores Ictiologi, quos inter unum clariſſimum Lacepedium honoris cauſſa meminiſſe liceat, vel ſilentio praetereunt, vel aperte negant piſces androgynea natura praeditos reperiri; & in ipſis percis, licet rariores, inveniri tamen mares nonnulli teſtantur. Ad tantam autem litem definiendam nec vires mihi, nec obſervationes praeſto ſunt.

Mihi ſane experimenta, & obſervationes Caolini repetenti in percae ovariis, quae Caolinus viderat albida corpuſcula, veris tempore oculis ſtatim oblata ſunt ad ſimilitudinem teſtium labbri julidis efformata; mares etiam e percarum genere nullos deprehendere datum eſt. Diſſectis tamen coram Dominico Cotunnio, Bruno Amantea, Xaverio Macrì pluribus percis quemdam certe humorem ex illorum preſſione extrahi poſſe vidimus, ſed de humoris illius natura, viribuſque quid ſentiendum reapſe ſit, ſatis non conſtat. Quamvis enim peculiari ſacco corpuſcula illa involuta non ſint, nullamque cum caeteris piſcis viſceribus communicatio-

nem

nem praeter eam quam cum Ovariis, in quae desinunt, quibusque intimius adhaerent, habeant; nemo tamen ea veros esse testes dicere sine erroris periculo audebit. Ergo quousque luculentissima desint experimenta, quae mares in percarum genere revera non dari, easque sine marium officio solas sibi ad generationem sufficere demonstrent, rem omnem Ictiologis satius disquirendam relinquimus, & quid sibi velint Percarum Ovariis inclusa corpuscula a Caolino detecta diuturnioribus observationibus declarandum fatemur.

Cave tamen, ne gloriae Caolini hac ex re aliquid demas. Praeter enim Aristotilem, qui Channam & Rubellum, quum omnes praegnantes capiantur, Hermaphroditos esse dubitaverat, ipse magnus Hallerus Anathomiae peritissimus salmonem, melanurum, carpionem, asellum, astachumque cancrum utroque sexu donari dilucide docuit, & deceptus est. Difficultatem enim maximam praeseferunt huiuscemodi subtiliores investigationes, adeoque si quid minus certum, adcuratumque a doctissimis viris prodierit, ne

indulgendum. In laudem Caolini, si caetera hac de re deessent, hoc unum observandum duco, circulationem sanguinis in piscibus tanta diligentia ac veritate exposuisse, ut nil accuratius habeatur apud recentiores Ictiologos.

A Piscibus secunda ejusdem operis parte ad cancros eorumque generationem stabiliendam eadem methodo transiit. Cancrorum nempe Phalangii Linnaei (Granchio fullone apud nos), Capitis mortui Linnaei (Granchio Sonno), Paguri Aristotelis (Granchio di Pertuso), & Depressi Fabricii (Granchio Spirito), quibus mare nostrum scatet, exteriores, quibus coalescunt partes primo describit, earumque officia exponit. Crustam scilicet, qua molle tegitur corpus, subiectamque mollem membranam: frontem: mobiles oculos ad tubi formam e crustacea materia concameratos, & in corneam membranam, quae a nigra coroide exilissimis nervis in retinae speciem diffusis intercepta colorem nigrum, ut plurimum mutuatur exterius desinentes: Os dehinc caruncula quadam, quae lin-

linguae vices gerit, praeditum: maxillas, dentes, & labrorum munia fubflinentes palpos: Auditus Organum, quod duplici mufculo, duplicique ofliculo, membrana ad Tympani figuram contecto emergit: duplicem in feminis vulvam, duplicemque maribus penem fub papillae forma: brachia, eorumque articulationes, & caudam, eique fubiectam hinc inde duplicem barbulam, ac cetera, quae ad Cancrorum partes exteriores pertinent, in medium profert; nec non differentias flatuit, fi quae fint, inter eorum diverfas fpecies; tandem ea duo Ovalia foramina fub maxillis pofita indicat, quae valvula membranacea ad aquae egreffum, ingreffumque moderandum deflinata videntur.

Deinde ad partes accedens interiores de caveis, quae exterius crufta, interius molli membrana, antice vero a coftis efformantur, & de feptem Corporibus Pyramidalibus caveis recenfitis fubnixis, differit. Canales branchiales qua exteriores, qua interiores, & branchias ipfas, earumque officia defcribit. Tum cerebrum, quod fere in circuli formam con-

conflatum varios in lobos diſtinquitur, & ſex nervorum paria creat. Horum unum ad oculos, ad aures alterum, ad viſionem, & auditum perficiendum tendere: cetera per Cancri corpus diſpergi docet. Ulterins progrediens abdominis cavitates, hepar; ventriculum, ejuſque exiliſſima corpora filiformia ante pilorum poſita, exta, uterum, ovaria, ova, teſtes, ſperma, aliaque omnia tam feliciter, ac diligentiſſime luſtravit, ut alterum natarae prodigium patefecerit, veram nempe dari inſitionem Animalem, Plantarum inſitioni apprime ſimilem. Duplex ſiquidem Inſectorum genus, unum ex Cyclopum familia, quod exterius Cancrorum Paguri, Depreſſi, Puberiſque, alterum, quod interius, Cancri Depreſſi tantum extis, per cellularis membranae mutuam commixtionem, & continuationem, inhaeret. Unicum hinc cum cancris corpus efformant, ſimul vivunt, eorum ſubſtantia veſcuntur, & creſcunt; & quoties generationi incumbunt, non hybridum aliquod, ſed ſibi apprime ſimilia unumquodque eorum producit animalcula.

Prac-

Praeter haec novam in Cancro Depreſſo animadvertit Teniae Speciem, quae in corporibus illis exilimis ventriculi modo adnotatis latitat. Demum foecundationem ovorum funiculis inter ſe, ut in Rana, colligatorum, extra Corpus feminae, & quam proxime ad eius vulvas in Cancris fieri ſupra adperſo maris ſemine oſtendit, probatque.

In immenſum excreſceret oratio, ſi ſingula perſequi vellem, quibus doctrinam de Piſcium, & Cancrorum generatione confirmare ſatagit a Sepia, & Syngnatis quibusdam deducta; necnon quae ad demonſtrandam fetuum praeexiſtentiam magna in luce a Spallanzanio jam poſitam, argumenta undique colligit.

Arduum vero, difficillimumque eſſet ea referre, quae de ſpermate Piſcium obſervavit, docuitque. Sat erit animadvertere Caolinum ſuſpicatum eſſe Animalium ſperma, Plantarumque pollen ſubtiliori aura, quam vitalem veteres appellarunt, donari: hac, ut arenea granuli magneti expoſiti, agitari glo-

globulos ſperma conſtituentes & huic magis, quam globulis ipſis contra Spallanzanium foecundationem Ovorum tribuendam eſſe cenſuit. Fateor tamen ſubtiliſſimas huiuſmodi inveſtigationes evidentia carere; & quum experimentis nequeant ſtabiliri, fortaſſe in incerto ſemper erunt, donec per fata liceat mortalibus cunctas rerum cognoſcere cauſas.

Quae hucuſque retulimus Caolini inventa, dum ipſum ad ſidera evehunt, maximum animo mihi creant deſiderium, quod ſapientiae veſtrae probandum, augendumque committo; nempe eximiis precibus Ioachimum Regem Augnſtum ſcientiarum vindicem exorandi, ut aere perennius tanti viri manibus ponere jubeat monumentum, inſtituta ſub Caolini nomine in Regia Studiorum Univerſitate *Cathedra* & *Muſaeo*, quibus non ſolum doceantur, omniumque oculis ſubjiciantur, quae ipſe vidit, ſed novis in dies accedentibus observationibus Caolino dignis, hiſtoria maris noſtri pedetentim perficiatur, natura ipſa hoc provocante, quae uti terra, ſic & pelago foecundiſſimo nos donavit. Quanta au-

autem ab hac inſtitutione Hiſtoriae Naturae, Halieuticae, Geologiae, & ipſi nauticae arti accedere poſſint commoda, & emolumenta norunt, qui vel primis labiis has artes, aut ſcientias deguſtarunt.

Poſt tot tantoſque labores, partamque gloriam deſidioſus ab inceptis numquam deſtitit Vir doctus ſcientiarum perfectionis magis, quam gloriae ſtudioſiſſimus. Anno enim MDCCXCII. quatuor annorum ſpatio collectas, repetitaſque obſervationes de Zoſtera, & Phucagroſtide Theophraſti duplici Opuſcolo latino exarato ſermone complexus publici juris fecit. Zoſterae flores, fructuſque a Turnefortio, ſpreta Theophraſti auctoritate, denegatos, revindicavit; eamque a ſenario ſtaminum Pyſtillo haud adherentium numero, in Claſſe Hexandria Monogynia contra Linnaeum (18) locandam eſſe ſtatuit. Phucagroſtidum vero genus a Thephraſto adſertum, a Weiſio impugnatum firmavit, iconibus exhibens maiorem, minoremque eiuſdem Auctoris plantam. Tum, & in Zoſtera, & in Phucagroſtide foecundationem, ut in

in Piſcibus Oviparis in profundo mari fieri; pollinis in pyſtilli meatus ingreſsû, oſtendit, probavitque exemplo aliarum plantarum, praeſertim Potamogetonii lucentis, P. depreſſi, P. denſi, P. criſpi, nec non Callitricis vernae, & Zannicheliae paluſtris.

His autem operibus parvae quidem molis, ſed veritate, & novitate inſignibus, adeo Caolini fama per Orbem increbuit, ut quotquot in Europa florerent majoris notae hiſtoriae naturalis cultores cum eo per epiſtolas commercium inierint; & plerique etiam Neapolim advenientes eum honorifice convenerint. Praeter huc uſque recenſitos enumerandi ſunt Roemerius, Cubievez, Abildgaardus, Zimmermannus, Allionius, Brugnatellius, Vitmanus, Aloyſius Caſtillionius, Petrus Maria Roſinus, Schocpius, Balbiſius, Dana, Soavius, Scopolius, aliique, quorum litteras autographas heic adjunctas exhibeo. Immo plures ex iis extollendae Caolini gloriae ambas addidere ulnas. Zimmermannus enim librum de Piſcium, & Cancrorum generatione in linguam Germanicam conver-

c ten-

tendum curavit: Abildgaardus Conchilio (Argonauta Linnaei) Caolini nomen imposuit, ejusdemque de hoc Conchilio dissertationem typis, et impensis Danicae historiae naturalis Academiae sub titulo *Caolinia natans* vulgavit: Academiae vero Londinenſis Linnaeana, Taurinenſis, & Mantuana Scientiarum, Florentina Georgofilorum, aliaeque Caolinum in Sociorum album inscribendum flagitarunt. Omnes tandem conſenſere Botanici in honorem tanti viri Plantarum Genus ejus nomini dicandum (20).

Illud etiam ejus gloriam adauget, quod ſuis operibus non ſolum nova, & admiranda naturae arcana repandat, ſed eo modo id praeſtet, ut ſermone utatur ad indolem italicae, vel latinae linguae eleganter accommodato, ordine idearum, claritate, ac ſimplicitate apprime ornato. Tum (quod ſummum in viro docto jure exiſtimes) tam facilem animi candorem illius prae ſe ſcripta ferunt, nullo ut negotio primis lectorum oculis emicet, quod a clariſſimo viro F. Fontana adnotatum (21).

Silentio tandem praeterire nequeo praeter

ea,

ea; quae recensuimus opera, aliis insudasse virum doctum, & laboris patientissimum. Quum enim auctoritate, & cura Francisci Ricciardi, & Comitis Josephi Zurli, Optimique Regis nomine (22) praemio etiam Caolini haeredibus proposito, ejus Scripta Regiae Scientiarum Academiae concessa fuerint, plura prae manibus habemus, quae historiae naturalis augumento, aut illustrationi esse possunt. Licet enim inordinata plerumque sint; & saepe tabulis descriptiones, vel illis icones deficiant, attamen anatome lacertarum, molluscorum, actiniarum, abscidiarum, concharum, aliorumque vermium nostri maris novis accedentibus observationibus ab Academia decretis & regali munificentia confirmatis (23) elici ab iis poterit. Inter Molluscos, Conchasque novum genus invenisse opinabatur; illos Rhomborum nomine designaverat; has vero ex verme Clioni apprime simili Clionem nuncupaverat, & Angelo Phasanio dicare meditabatur. Plures insuper de Torpedine, de Ranis, de Squalo Squatina, & Squalo Canicula, eorumque generatione collegerat

 ob-

obſervationes, ac in utriusque memorati Squali abdomine vermem interius haerentem, in Squalo vero Squatina vermem alium in podice ſitum deprehendit, & iconibus repraeſentavit. Multa pariter procul dubio non ſpernenda de nonnullis muſcorum speciebus, de Ceratonia Siliqua, aliisque plantis, & de Inſulis harum noſtrarum Regionum notaverat. Fungorum ortum non ex putri, ut conjectando vulgaverat, repetit, ſed in eam deſcendere opinionem videtur, quae polypis fungos aſſimilat; ut enim illi ex ſectis partibus absque generatione integri reviviſcunt, ita etiam fungis evenire teſtatur. Tandem Geologiae Montium crateris Neapolitani incumbebat; hujus autem operis, neſcio quo fato, praeter epiſtolam Joſepho Zurlo inſcriptam, qua operis rationem exponit, & quatuor tabulas piſces in lapidem converſos, lapideſque nonnullos referentes, nil reliquum hucusque invenire potuimus.

Ex his autem omnibus colligendum eſt; tanto ſcientiarum amore Caolinum flagraſſe, tantamque operam iis promovendis impendiſſe,

diſſe, quantam vix alius unquam praeſtiterit. Nam nec ſociis, aut diſcipulis, nec aere publico, aut alieno adjutus, ſed ipſemet plurima & admiranda naturae arcana diuturno, improboquc labore, magno obſervationum, ac experimentorum apparatu, non modico impendio ſolus noſcere potuit & revelare.

Adeo autem hujuſcemodi ſtudiis intentus vivebat, ut ab iis, niſi virtutum exercitio, numquam diſtraheretur. Quum enim ſpecioſa a Patre accepiſſet bona, frugique ex morum ſimplicitate eſſet, ſibi ſuiſque voluptatibus, quae in rimandis naturae penetralibus totae erant, aere proprio, non difficulter ſatisfaciebat; nec deerat quin aliis etiam auxilio eſſe poſſet. Orphanos quosdam ſecreto alendos, educandosque curaſſe viri fide digni teſtantur. Quos ſemel in praediis ſuis admiſerat agricolas, nec majore locationis pretio vexavit unquam, nec eidem deficientes expulit. Dei cultor ex animo ad temperandum etiam Philoſophi nomen grave inter ignavos praeſertim in otioſa, & molli civitate, Divi Ivonis Collegio, quo doctio-

res, piique apud nos caussarum Patroni in pauperum, Orphanorum, viduarumque subsidium patrio more congregantur, nomen dedit; & plura hujus generis negotia cum laude confecit. Mirae fuit modestiae; etsi enim fama sui interius frueretur, nemini unquam gravis extitit, & gloria magis apud exteros, quam apud Cives contentus honores, & officia nec poposcit unquam, nec exoptavit. Gnarus temporum inertiam civilem pro sapientia habens anno MDCCXCIX. oblata a Vincentio de Philippis interioribus Reipublicae negotiis praeposito decora munia recusavit. Solitariam paene vitam inter Studiorum oblectamenta beatam vixit usque ad annum MDCCCVI., quo maxima calamitate adfectus est. Domum scilicet, qua tot ei patuere naturae miracula, quaque pretiosam instrumentorum, librorum, piscium, vermium, plantarum nostri praesertim maris habebat suppellectilem, a militibus occupatam, direptamque vidit, ingemuitque. Deinde imminuta ob Regni vicissitudines re familiari, desidia magis, quam maerore conficiebatur. Post haec, instituta

Re-

Regia Scientiarum Academia a Josepho tunc utriusque Siciliae Rege, Socium, Historiae vero naturalis in Regia Studiorum Universitate Professorem a Joachimo Rege nostro Optimorum Patrono anno MDCCCVIII. nuncupari passus est.

Haesit tamen lateri lethalis arundo, vulnusque animo jampridem conceptum corpus ejus enervaverat. Tum vere primo accedente, quum ad consuetas peregrinationes maritimas animum revocasset, naviculam de more conscendit ad lustrandas cryptas, quae apud Pausillipum, Nesimque zoophitis, aliisque vermibus scatentes, plures inveniuntur. Et ecce armatus miles cymbam satis ferox aggreditur; minitari, ni recipiatur; tandem illam manu prehendit, deferrique in Caolinam domum commilitibus jam occupatam, imperat. Renuentibus nautis, navimque e littore removentibus, insilit ille truculentus, interque moras pondere suo illam submergit; omnesque in undas praecipites acti sunt. Nautarum humanitate, & auxilio Caolinus, milesque fortuna erepti sunt; at ille illaesus

abiit, hic terrore, & metu perculſus vix domum delatus animo, & corpore laborare; inde typhoide correptus decem poſt dies anno aetatis ſuae LIV., aerae vero vulgaris MDCCCX. Idibus Martiis ultimo fato defunctus eſt.

Corpore parvus, vultu decorus, oculis conſtrictis micantibuſque, ſermone facilis, cultu modicus fuit. Bonum virum eo inſpecto facile crederes, magnum quaereres: paucis enim doctrinam, virtutemque ejus interpetrari licebat.

ADNOTATIONES.

(1) Philippus Caolinus Patrem habuit Nicolaum hujus nominis, & matrem Angelam Auriemmam: ille Neapolitanus Civis doctusque caussarum patronus; haec autem Surrentina Matrona erat pietate, & Religione spectatissima.

(2) Vide praefationem ad Physicam Joannis de Turre vernaculo Sermone typis editam.

(3) Vix enim pubertatis annos egressus Academiam domi instituerat, quam pauci at preclarissimi viri frequentare non detrectabant, inter quos Dominicus Cotunnius, Nicolaus Pacificus, Angelusque Fasanius. Hi omnes collatis viribus se invicem circa plantas erudiebant.

(4) Vide Catalogum Operum Cyrilli in libro, cui titulus *Introduzione alla Storia della Medicina antica, e moderna di Rosario Scuderi M.*

(5) Idem ibidem.

(6) Dolet, aeternumque Viros doctos dolebit Operum Cyrilli posthumorum jacturae; multa enim summae utilitatis, multaque utilia, & jucundissima amisimus. Diuturnis equidem observationibus, acutissimisque vitris microscopicis plantas cryptogamas, muscos imprimis contemplaverat, & manu sua delineaverat, publici juris eas facturus. Orchideas plantas plerasque pariter lustraverat, iconibus appositis. Tandem 70. jam paraverat tabulas, novas ut plurimum, aut nusquam descriptas plantas continentes. Insectorum praeterea alias tabulas iis, quas jam in lucem dederat, adiungendas impromptu habebat. Haec ad historiae naturalis augumentum perfecerat.

Quoad medicinam vero annorum 25. observationes in Nosocomio Neapolitano diligentissime peractas in plura volumina distributas collegerat. Iis morbos rite notaverat, nec

non

non morborum effectus, symptomata, vicissitudines, causas, exitum: & quae in vivis conjectando depraehenderat, cadaverum dissectione comprobare tentabat. Ex quibus omnibus ad Diagnosticae & Clinicae perfectionem Aphorismos ad instar Hippocraticorum deducebat.

Duplex insuper Opusculum de Pulsationibus unum (praeter illud typis jam vulgatum), de variolarum insitione alterum diuturna edoctus experientia conscripserat.

Tandem novum medendi genus, idque, (si ita loqui fas est) indigenum, meditabatur; morborum siquidem quibus afflictamur originem plerumque inordinatae transpirationi, ex meteorarum frequentia, & impetu tribuendam esse cognoverat: hinc nostram medicinam in Cutis gubernio, & Chymica Pneumatica fundandam praecipue esse opinabatur, & plurimarum curationum exemplo reapse fundari ostendebat.

(7) Illustrissimo Signore, e Padrone Colendissimo -- Le ingegnose, ed esatte osservazioni fatte da V. S. Illustrissima sopra il curioso fenomeno della *Caprificazione*, meritano certamente l'attenzione dei naturalisti del secolo, e debbono altresì aver luogo nelle più celebri raccolte di produzioni naturali, ed in quelle specialmente che destinate sono alla pubblica istruzione. Ecco il motivo, che ha indotto il Signor Abate Fontana, Direttore di questo Real Museo a far rappresentare in cera tutte le parti del Profico, e del Fico edule, in istato da dimostrare esattamente quanto ella ha scoperto su tal proposito con le sue esatte osservazioni. Tali preparazioni dovranno aver luogo nella serie delle produzioni d'Insetti di questo Real Museo, la qual serie da qualche anno a questa parte va a divenire una delle più copiose e rispettabili d'Europa. Con la fiducia pertanto, ch'ella voglia degnarsi di contribuire all'esecuzione di tale idea, sarei a pregarla a volersi compiacere di spedirmi con la maggior sollecitudine una serie di frutti del Caprifico e Profico in istato di poter istituire sopra i medesimi quelle stesse osservazioni

vazioni

vazioni maeſtrevolmente deſcritte nella di lei memoria. La mancanza totale dell' uſo della Caprificazione in tutta la Toſcana, fa sì che ſi traſcuri da per tutto la pianta del Caprifico, la quale perciò è rariſſima, o abbandonata per caſo in qualche dirupo quaſi inacceſſibile. Si bramerebbe adunque che ella ſi degnaſſe di procurarcene la ſerie nelle ſeguenti circoſtanze:

1. Alcune madri del Profico, mature, o contenenti le ninfe dell' *Ichneumone Pſenes* autore della Caprificazione.

2. Alcuni profichi nati nella Primavera, e non ancor fecondati.

3. Gli ſteſſi profichi reſi fecondi.

4. Un numero d' Inſetti e Ichneumoni, per adattarli ſu i frutti rappreſentati nello ſtato di eſcludere i medeſimi, o di riceverli nel loro interno.

5. Un numero di larve, e ninfe di ambedue le ſpecie di Moſcherini o Ichneumoni di diverſo ſeſſo.

6. Qualche frutto del fico edule già reſo fecondo dall' introduzione di queſti inſetti.

7. Finalmente qualche altra parte del Caprifico, che da V. S. Illuſtriſſima foſſe creduta neceſſaria per l' oggetto che ſi ricerca.

Intanto per avvantaggiare l' eſecuzione di tale idea, vado procurando, che ſi eſeguiſcano dai noſtri lavoranti in cera diverſi rami di Caprifico, e poi ſituare ſopra i medeſimi i frutti in diverſo ſtato di maturità, che anzioſamente ſi attendono dalla dilei gentilezza.

La premura, che ella vorrà darſi per aderire a queſto noſtro deſiderio, ſarà da noi ricompenſata con la più pronta, ed eſatta eſecuzione de' ſuoi comandi, in attenzione dei quali ho l' honore di proteſtarmi -- *Di V. S. Illuſtriſſima -- Firenze 4. Settembre 1797. -- Devotiſſimo ed obbligatiſſimo ſervitore -- Dottor Attilio Zuccagni Profeſſore di Botanica, e Segretario della Società Reale de' Georgofili.*

Illu-

Illustrissimo Signore e Padrone Colendissimo -- La singolar bontà e compiacenza usata da V. S. Illustrissima nell' aderire alle mie istanze sugli oggetti relativi alla Caprificazione decide abbastanza in favore del di lei nobile, e generoso carattere, e mi obbliga sempreppiù a una perpetua gratitudine. Il Signor Abate Fontana grato esso pure a i dilei favori, m' impone di ripeterle i suoi più distinti ringraziamenti, e di assicurarla, che presto le sarà consegnata in dono la sua ultima opera *su i Veleni*, avendo già dato tutte le disposizioni, acciò ne venga fatta a V. S. Illustrissima la spedizione per la via di mare.

Gratissime intanto riusciranno le dilei opere al Signor Fontana medesimo, ed a questa Real Accademia de' Georgofili, per i quali ella vuol degnarsi destinarle. Io profitterò con piacere di questa bella occasione per farla ascrivere tra i socj corrispondenti della medesima, e goderò di acquistare per questo mezzo un nuovo diritto alla dilei utile corrispondenza.

Gli esemplari di dette opere, non meno che gli oggetti relativi alla Caprificazione potranno da V. S. Illustrissima consegnarsi al Signor Bonechi Ministro di questa Real Corte con la direzione a questo Real Museo, ovvero al Direttore del medesimo Signor Abate Fontana. Con questo mezzo spero, che giungeranno a noi con la bramata sollecitudine, e sicurezza, nè saranno soggetti all' eventualità delle Poste, e del Mare.

Sull' oggetto però del Caprifico, si gradirebbe che V. S. Illustrissima ci trasmettesse sul fine di Autunno, o al principio del Verno un ramo di questa pianta privo di foglie, ed avente le madri superstiti, che contengono le Ninfe de' Moscherini, all' oggetto di far preparare in cera questo primo stato del Caprifico, prima della comparsa de' nuovi profichi; alla Primavera poi si attenderanno altri Rami di questa pianta ne' suoi diversi stati di maturità per continuarne la serie.

Se

Se mai le di lei occupazioni le permetteſſero di fare qualche nuova eſcurſione nei Colli Sorrentini, Vicani, e di Capri in ricerca d'inſetti, ci ſarebbe gratiſſimo, ch'ella faceſſe parte delle ſue raccolte a queſto Real Muſeo, eſibendoci di controcambiare i ſuoi favori con i duplicati di queſto Regno, o di qualunque altra branca d'Iſtoria Naturale.

Intanto profittando delle corteſi ſue eſibizioni mi farei ardito di ſupplicarla anche in nome del Signor Fontana a volerci procurare una quantità dei più rari Molluſchi, ed Apteri di codeſto mare, dei quali potrebbe farcene diverſe ſpedizioni per la via di mare dividendone le ſpecie in diſtinti vaſi di vetro ripieni di acqua-vite, ed aſſicurati con una veſcica bagnata, e con una foglia di ſtagno ſecondo il coſtume degl'Ingleſi. Quegli che preciſamente ſono mancanti nella noſtra ſerie, e che per teſtimonianza dell'Illuſtre Bohadſch, ſi ritrovano in codeſto mare ſono i ſeguenti:

Cancer Caput mortuum. Linn.	*Aſcidia papilloſa*
Aplyſia depilans	. . . . *gelatinoſa*
Doris Argo.	. . . . *inteſtinalis*
Thetis Fimbria.	*Holoturia tremula*

Si bramerebbero inoltre alcuni individui della vera *Aranea Tarantula* di Puglia, giacchè la noſtra è ben diverſa da quella, benchè ne porti i caratteri ſpecifici notati da Linneo.

Ella frattanto ſi degni ſoffrire in pace queſta moltiplicata ſerie d'incomodi, e ne incolpi ſoltanto la gentilezza grande, colla quale ſi è degnata di accettare i primi. Non traſcuri per altro di comandarci con piena libertà, nè tampoco di avvertire le ſpeſe, che occorreranno per la proviſta, e ſpedizione di tali generi, aſſicurandole, che tanto il Signor Fontana, che io ſteſſo ci faremo un pregio di ſervirla, ed un preciſo dovere di farla ſollecitamente rimborſare.

Mi

Mi permetta in fine, che io abbia l'onore di dichiararmi col più distinto ossequio -- *Di V. S. Illustrissima* -- *Firenze* 5. *Ottobre* 1797. -- *Devotissimo ed obligatissimo servitore* -- *Attilio Zuccagni*.

(8) Veritatis amore fateor Caulinum cum veteribus hac de re aberrasse; docere enim videtur ex putri fungos enasci, cum nec semen, nec flores in fungis deprehendere potuerit. Hanc autem opinionem citius abnuisse posthuma ejus scripta quae per manus habemus, demonstrant.

(9) Species novae Zoophitorum a Caolino detectae sunt 1. Madrepora denudata 2. Millepora Cardunculus 3. Sertularia racemosa 4. Sertularia secundaria 5. Sertularia Misenensis. Docuit etiam Sertulariam fastigiatam, ac eburneam, nec non Celleporam spongitem ad milleporas esse amandandas.

(10) Gemmas potius cum recentioribus dices.

(11) Padova 20. Gennajo 1793. -- Signor Giuseppe Olivi -- al Signor Filippo Caolini. Pochi sono i dotti, che abbiano al presente, o abbiano giammai avuto tanta benemerenza nella storia naturale del mare, quanta ne avete voi, sommo naturalista: pochi, che l'abbian trattata con più conoscenza di fisica, e storia naturale degli esseri organici, con tanta profondità di viste, con tanta sagacità di osservazioni, con tanta accuratezza di esperienze: pochi, che l'abbiano arricchita di tante, e così luminose scoverte. Pochi adunque sono quelli, che abbiano tanto dritto a ricevere gli omaggi del mio libro, quanto voi, che siete uno de' pochi grandi naturalisti di Europa, e non equivocamente, nè precariamente grande.

Pavia 8. Marzo 1787. -- Lazzaro Spallanzani -- Quando nel mio ritorno da Costantinopoli passai per Milano nel mese dello scorso Gennajo, dal P. Soave mi fu ricapitata l'umanissima lettera di V. S. Illustrissima dei 7. Agosto passato, unita alla sua nuova memoria sopra diversi Polipi marini.

